Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25950
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ligentia est, et procellam, que maior est quam turbo, id est tempestas, que quoque nomine procella appellatur. Hec est fuit per operationem que per legem trahebat homines. Nunc autem requies est animus imperfectis. Vel procella significat ipsam vindictam legis. Et tube sonum, qui est signum motionis ad bellum, quo significatur motus delectationis qui non per legem sed per gratiam extinguitur. Vel sonus tube significat predicationem et adventum dei omnipotentis, unde et apostolus ad … alias dicit loquens de adventu Christi ad iudicium: In tuba dei descendet de celo et in voce angelorum. Et ad litteram in datione legis facta sunt ut corda iudeorum prona ad peccandum concuterentur ne auderent legem transgredi, ut hic … est in evangelio. Et vocem verborum. Vox verborum intelligitur non ipsius dei sed angelorum. Illi qui audierunt excusaverunt se ne eis fieret verbum, id est ne eis loqueretur, dicentes Moysi: Non loquatur nobis dominus deus, ne forte moriamur, nimio timore perculsi fuerunt. Non enim portabant quod dicebatur, id est non poterant ferre vocem angeli pre timore videntes totum montem Sinai fumare, procellas quoque et tonitrua et voces tubarum audientes. Et dicebatur eis longe stare a monte quia si bestia etc. tetigerit montem lapidabitur grandine. Sic preceperat dominus dicens: Longe se faciant filii Israel a monte, quia si homo vel bestia tetigerit montem lapidibus grandinis interficietur. Et ita erat terribile quod videbatur, ut nec audire auderent nec accedere ad montem. Et Moyses dixit: Exterritus sum et tremebundus. Ita tantum fuit terribile quod Moyses territus. Et si Moyses territus est, quid alii? Utique multo magis territi sunt. Sciendum quod voce illa verborum significatur legis preceptio et comminatio quam populus gravem putavit et intolerabilem, quia sola preceptio erat sine gratia adiuvante. Non enim portabant quod dicebatur, quia sine gratia insufficientes erant ad observanda legis precepta. Et dicebatur: Si bestia tetigerit montem lapidabitur. Mons est divinitas, bestia defectus rationis, quod est contra verbum prophetie blasphemie … in deum tangere est offendere. Tangit quoque montem ut bestia qui offendit deum blasphemia, quem precepit lex sine misericordia lapidari. Sed si in ecclesia vult reverti misericorditer suscipitur.

[illegible] per subiectam creaturam, id est per angelum, loquebatur deus Moysi et voce tubarum et angelorum

Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum et tremebundus.

Moyses ibi territus est, quia tanta erat legis asperitas ut et perfecti terrerentur, quia non erat ibi adiutrix gratia. Nunc autem nec imperfectis gravis est preceptio, et iugum suave est et leve onus per caritatem diffusam in cordibus per spiritum sanctum. Vide quoque distantiam: ibi post pascha quod agni immolatione celebratum erat, L die descendit deus in Sina in igne, sed plebem longe stantem terrens, et digito suo scribens in lapide, non in cordibus. Hic vero spiritus sanctus, qui est digitus dei, venit ubi congregati erant in unum, in igneis linguis, non de longinquo, immo sedit super singulos eorum. De celo quidem factus est subito sonus quasi ferretur flatus vehemens; sonuit sed nullus expavit. Ibi ignis et fumus, hic autem ignis serenus. Sed accessistis. Ex superioribus ita pendent, ubi dicit ad que accesserint, per remotionem illorum non ponit contraria eorum que ex opposito intelliguntur. Sic … assignatum est, sed primum quod ex eis sequitur, ut per hoc magis suadeat tenendam esse gratiam, quia non accessistis ad … aspera, sed accessistis ad Sion montem, id est ad eos qui in alto deum speculantur quem speculari magnum est … id est ad civitatem dei viventis, id est civibus suis vitam eternam dantem, quia in eis deus habitat qui eos vivificat. Sed ad Ierusalem celestem, id est ad visionem celestis pacis, et ad frequentiam multorum milium angelorum, quorum socii facti estis. Multorum dicit, quia ex pluribus maior erit beatitudo. Et ad ecclesiam primitivorum, id est apostolorum, qui primi … crediderunt, quorum fidei illi adiuncti sunt, qui a … conscripti sunt in celis. A simili hoc dicit, ut olim dicebantur patres conscripti, quia eorum nomina scripta sunt in libro vite. Ac si diceret: ne dubitetis ad angelos pervenire, quia vestri antecessores pervenerunt. Et hoc quoque dicit: qui conscripti sunt. Ie-

[illegible] in sermone de [illegible] apostoli

anno

Sed accessistis ad Syon montem et civitatem dei viventis Ierusalem celestem et multorum milium angelorum frequentiam et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in celis et iudicem omnium deum et spiritus iustorum perfectorum et testamenti novi mediato-